

Universitätsbibliothek Wuppertal

Codicis Dn. Ivstiniani Sacratissimi Principis P.P. Avg. Repetitæ prælectionis Libri XII

Justinian <I., Byzantinisches Reich, Kaiser>

Francofurti ad Moenum, M D LXXXVII.

Vorwort (Franciscus Modius)

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1733)



FRANCISCVS MODIVS
BENIVOLO LECTO-
RI S. P. DICO.



*I quis mihi excusanti ingenij & iudicij medio-
critatem in huius tanti operis noua adornatio-
ne; ubi summa omnia, & recondita quadam
eruditioris doctrinae copia requirebatur, illud
obuciendum putabit: quod Cato nescio cui o-
lim respondisse fertur: quem scriptorum à se
voluminum vilitatem & tenuitatem faten-
tem ultro, ac huius rei gratiam sibi fieri peten-
tem interrogarit, cur mallet excusare culpam, quam illam in se omni-
no non admittere: id est, cur cum ab eo scriptionis genere & mentem
& manum abstinere illi libere licuerit; maluerit tamen ea chartis
mandare, quae si accuratius ab aristarchis excuterentur, reprehensio-
ni illorum obnoxia futura intelligeret: si quis, inquam, eandem hanc
hic mihi cantilenam occinendam putabit, quem res ipsa fateri cogit ni-
hil me fere maiestate horum augustissimorum voluminum, nihil do-
ctissimorum cultissimorumque virorum (quorum cum Deo nostra hac
tempestate satis felix passim per Germaniam, Italiam, Galliam est
copia) auribus dignum huic nouissima iuris civilis editioni adiectum
isse; quod quidem peculiariter à me sit: ei ego respondebo longe aliam
hic meam esse causam, aliam fuisse illius, cui tam argute & urbane
imprudentiam suam, siue impudentia fuit potius, exprobrauerit Ca-
to. quippe cui homini integrum fuerit, ut iam dictum est, iudicij eru-
ditorum hominum aleam non subire; cum mihi haud utrum liberet li-
cuerit per eos, quorum apud me auctoritas & gratia ut valet pluri-
mum, ita vero etiam, quae quidem ipsorum erga me sunt merita, va-
lere debet. Illi igitur, non ego, culpam sustinebunt, si qua modo ibi ad-
missa est; ubi illud in primis cura habuimus, non in lenocinium fame,
non in ostentationem aliquam aliquid pristina Gothofrediana editio-
ni succenturiare; sed utilitatem publicam pro cynosura in adornan-
da editione hac iuris civilis habere; ad docentiumque & discipulorum*

P R A E F A T I O

commoditatem semper & ubique respicere; ab hac non oculos, non animum, umquam deflectere. Cui rei ut argumenta demus; primum tadiofiore quam iucundiore labore editionem Gothofredi (qui in ea simul & praestantem Iuris Consultum & virum melioris & politioris litteraturae cum primis gnarum se omnibus probavit) recognovimus: non ut in ea aliquid mutarem, interpolarem, detraberemus, adderemus; non. neque enim tantum nobis in alieno opere, & quidem iam publice omnium ordinum suffragijs dilaudato, permittere aut voluimus aut debuimus; sed ut vitia typographica (neque enim aliter de ijs sentire aut loqui fas est) quae passim occurrebant, (si verum dicendum est) & plurima & maxima, ob characterum (credo) oculorum aciem quamvis acutissimam fugientium subtilitatem, emendarem: quorum tanta vis quae per me, quae per alios (cum minutijs omnibus neque ego notandis, neque margines voluminis angustioris recipiendis essent) quibuscum de hac re diligenter egi, sublata est; quantam nemo credat temere, qui non prius hanc nostram cum priore Gothofredi editione contulerit, & cum cura compararit. Atque hoc quidem primo loco hic praestitimus: praestare certè conati sumus. Secundo, quando hoc in primis in priore editione desiderari à doctis & studiosis omnibus ex multorum clarissimorum virorum sermonibus & litteris nuntijsque intelligebamus, summulas quasdam singulis legibus, ac praesertim prolixioribus aut intricatioribus praemisimus, ex eruditissimi Julij Pacij praecipue & doctissimi Antonij Contij editionibus petitas. qui labor eo molestior etiam fuit, quod cum Gothofredus ad marginem quoque subinde quasdam adnotarit, cautione mihi opus fuit, actum ne agerem. quod tamen ut ubique cautum esse à me praestare & asseverare non ausim; ita illud non timide affirmo, maiorem in ea re diligentiam quam adhibuerim ipse, adhiberi non facile potuisse. Quae quidem haecenus dixisse sufficiat de ipso iuris corpore ab eruditissimo Gothofredo edito, & scholijs utilissimis mercede illustrato. nunc reliquum est dicere de ijs, quae ad eam editionem adicienda nos, quae nostra est sapientia, existimavimus. ad quae tamen antequam veniam, de illo prius lectorem absolvam, cur affecto indice Brederodiano in Digestorum libros & Nouellas hanc editionem onerandam non putaverimus. Quod sane ideo faciendum non videbatur, quia insipientia non parva fuisset, postquam opus illud integrum & absolutum in omnes iuris civilis partes & libros in lucem exierat, & omnium manibus terebatur, trunca quadam eius membra vulgo velle venditare. hoc igitur satius & magis ex re iuris tam peritorum quam studiosorum fore existimavimus, si illud idem opus Brederodii, quod nunc satis vitiosum circumfertur, & emendatius & locupletius (cuius utriusque nobis praestandi non parva occasione recognitionis iuris ipsius, fuit copia) ad proximas nundinas daremus cusum seorsum, & ad huius corporis magnitudinem & usum conformatum. quod ita etiam futurum esse tibi

lector,

lector, quisquis es, fide Germana & antiqua recipimus. Quo tempore quia reliqua dicentur à nobis, quæ de iisdem Brederodianis laboribus, eorumque utilitate & commoditate dicenda videbuntur; nunc redeo ad Appendicem quam eius, de quo dixi, semi affecti indicis loco editioni Gothofrediana adiciendam censui: in qua illud secutus sum, ut cum ipse viderem, quod ex aliis sæpe audieram, Gothofredum antinomias quidem plerâsq; accuratè notasse, sed paucas conciliasse (credo quod alio loco aut tempore id facere in animo haberet) eis quidem quæ in manibus erant à doctissimis iuris Streitmanno & Pacio mutuatis nostram editionem locupletarem primum; deinde ipsius Gothofredi de ratione ordinis à Juris Consulto in Pandectis, Codice, Institutionibus servati tabulas non ommitterem: cum illas utiliter editio Pacij præferat; & in illis quodammodo uni oculorum obtutui incurrat, quod licet alibi dictum fortasse & monitum locis dissitis & remotissimis, non equè tamen capere quivis animus possit. Sed nec fastos Contij magna industria collectos, & omnibus iam pridem probatos, qui post illa editioni alicui nova iuris præfuerunt, in hac nostra desiderari passus sum. præter quæ si quid addidi amplius; id quia & pagina præcedens loquitur, & res ipsa facile testabitur, non omnino abs re aut præter rem à me factum esse; ad illud ultimum venio, de quo verba hic facere decrevi, & ad quod ultro mea iam dudum omnis properat oratio. Notas has dico, siue ita vis prætermissorum (verè enim prætermissa tantum tangere consilium fuit; ideoque sum in alijs cum Pandectarum tum Codicis libris brevior & strictior; in alijs, ut in tribus posterioribus libris Codicis in primis prolixior & laxior, prout post messem Gothofredianam legendi spicas maior aut minor facultas mihi relinquebatur) commentariolos. quos ego poteram sane & mole conspicuos magis (quid enim in tanta iuris & de iure voluminum copia facilius?) & ornatu non paullo nitidior ac cultiore gratiosiores dare; nisi, ut dixi iam ante, ad docentium & discantium utilitatem, non ad ambitionem meam in eis scribendis, imo exscribendis, (cur enim cum pleraque, omnes sint ab Alciato, Cuiacio, Contio, Charonda, Pacio, non verum fatear?) his notis consilia mea factaque omnia direxissim; quibus cum plurimum posse commodari existimarem, si oportune unde cuiusque legis, cuius maximus hodieque usus esset, interpretatio & explicatio accuratior petenda esset, admonerem: atque ita quod in me esset memoriam docentium, discantium industriam adiuuarem; id unum ferè cura habere cœpi, ut adhibitis Bernardini Alphani, Martini Antonij Del-ryo, Seileri, miscellaneorumque in iure scriptorum, quot haberi potuerunt, copijs, aliquod hic non superflua & superuacanea diligentia specimen darem. in quo si assecutus sum, quod secutum modo me dixi; abunde satis magnum huius mei laboris fructum fero. sin minus, tum eo me consolabor; quod cum illo temporis spatiolo nata sint hæc notæ, quod ad huius consilij non dico explica-

PRAEFATIO AD LECTOREM.

*tionem, sed omnino institutionem & informationem etiam alij mei ordinis angustum foret; facile me apud non nimis iniquum iudicem irri-
ti conatus gratiam reperiturum confido. Verbum neque addo, neque
ut addam res postulat: illud enim, vitia typographica (qui enim po-
tuit ut in tanto opere non quadam committerentur?) ut cognoscant
& ignoscant omnes monendum eo non putauimus; ac ne hoc quidem,
quomodo illa suis locis corrigenda sint; quod, cum leuiscula pleraque
sint, aut neglecturi ea, aut cum se ipsa soricis more prodant & indi-
cent, facile per se deprehensuri sint. Haec igitur modo, & vale, quisquis
es lector; & si omnis noster commodis tuis subseruit labor, fauentiam
eam huic operi praesta, quam boni bonis solent.*

FRAN-